

Lucilianum.

Libro XIV Saturarum a Lucilio Scipionem loquentem inductum esse Marcius (Stud. Lucil. p. 81) cognovit docuitque verum 403 L. XIV 1 M.

ad regem legatu', Rhodum, Ecbatanam ad Babylonem
ibo, cercurum sumam

non, ut priores voluerunt, poetae esse, sed ipsius Aemiliani celeberrimam illam legationem significantis. Quod quo magis probaret, Scipionem in itinere Rhodum quoque adiisse, Marcius compluribus argumentis efficere studuit, testimonium certum, quo coniectura ita fulciretur, ut nulla dubitatio restaret, non invenit¹. Liceat igitur nobis opem ferre viro doctissimo. In Ciceronis de Republica libris (III 48) Aemilianus interrogat Sp. Mummius: 'Quid tibi tandem, Spuri, Rhodiorum, apud quos nuper fuimus una, nullane videtur esse respublica?' Haec videlicet de legatione illa intellegenda sunt, quam una cum Sp. Mummio et L. Metello Scipionem Africanum suscepisse Iustinus (38, 8, 8) narrat. Cui non repugnat Cicero, cum Acad. II 2, 5 Scipioni Panaetium unum omnino comitem fuisse tradit. Hic enim non de eis, qui una cum Scipione legati erant, loquitur, sed de comitibus, qui illum sive ut familiares sive ut in eius cohorte rerum publicarum et terrarum exterarum peritiores fierent, sequebantur.

¹ Stud. Luc. p. 87 *veri simile est* Scipionem fuisse Rhodi. p. 83
Lucili versu collato cum eis quae Strabo tradit colligo etiam Rhodios
eum adisse.